



COLLATIO  
LEGVM POLITICARVM ET PHILOSOPHICARVM  
DE OTIO.

**F**lagrat hodie studium legum emendandarum inter ce-  
teras contentiones, quibus haec aetas palmam prae-  
ripere superioribus, (quo successu, dicet posteritas,)   
conatur. Nec istud quidem temere arripuerunt ingeniosi  
quidam scriptores. Etsi enim multa maiores nostri, de  
corrigendis institutis antiquis, quae sola fere vetustate  
commendantur, deque nouis fanciendis, prudenter mo-  
nuerunt: tamen, quam longe a proposita meta absint eo-  
rum nepotes, res ipsa fatetur. Ne de causis dicam,  
quae saluberrimis consiliis plurimis vim omnem atque adi-  
tum in animos potentium virorum auferunt: satis fuerit  
vel hoc vnum commemorasse, nihil videri difficilius,  
quam ferre leges eiusmodi, quae primariam mali labem,  
ipsa peccandi semina, profligare queant; felicitati publi-  
cae muniendae viam breuissimam et certissimam ingre-  
diantur; non annis aliquot, aut vitae humanae circulo,  
aptae sint, sed seculis; quae vnus gentis ingenio, moribus,  
gubernandi formae, solo denique ipsi, et bonis malisque  
physicis accommodatae, seruiant, nec mixtae diuersorum  
popu-